Dissertatio inauguralis de spasmo vesicae / [Johann Adam Kulmus].

Contributors

Kulmus, Johann Adam, 1689-1745
Ettmüller, Michael Ernst, 1673-1732
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae : Litteris Jo. Christiani Langenhemii, [1732]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/t6fk9rqc

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

30.
38

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE

SPASMO VESICAE

QVAM
CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
SVB PRAESIDIO

DN. D. MICHAELIS ERNESTI
ETTMÜLLERI,
PROFESS. PATHOL. PVBL. ORDINAR.,
ARCHIATR. ET COMIT. PALAT. CAESAREI, S. R. I. NOBILIS, ACADEMIAE LEOPOLDINO-CAROL. DIRECTORIS, VNIVERSITATIS LIPSIENSIS DECEMVIRI, FACVLTATIS MEDICAE SENIORIS, ET MAIORIS PRINCIPVM COLLEGII COLLEGIATI,
PATRONI AC PRAECEPTORIS OMNI HONORIS CVLTV VENERANDI,

PRO GRADV DOCTORIS
IN MEDICINA RITE OBTINENDO
AD DIEM XIX. SEPT. A. MDCCXXXII.
H. L. Q. C.
PLACIDE PHILIATRORVM EXAMINI
SISTIT

IO. ERNEST. KVLMVS, Dantisc. Boruss.
MEDIC. BACCAL.

LIPSIAE
LITTERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
SPASMO VESICAE
CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA VNIVERSITATE
DN. D. MICHAELIS FINDSTI
ETIMVLEPSI
PROFESSORIS ANTECEDENTIS ORDINARII
ARCHIATRI ET COMITIS PALATINI CAESAREI
PERAGRANDI IN AGONE LEGENDI
DIRECTORIS, MVTENSIS
FILIVS DIRIGENTIS SPECTANTIBVS
TVIS PLENA SANCTIONE, MAGNIFICENTIA
CIVIVM COLLEGII COMITIA
PRAVNAE AC PRAEROGATIVAE OMNI
HONORE CVMVLANDI
PRO GRADV DOCTORIS
IN MEDICINA RITE OBTINENDO
AD DIEM XXI. MENSIS MARTII
HORA VIII. MATVTINA
IN AVDITORIO MAIORI
IOANNES STRVMIVS, D. Medic. Bonn.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. *Definitio Spasmi in genere eiusque differentia suppeditatur.*

§. II. *Subiectum morbi in genere declaratur.*

§. III. *Spasmi externarum partium variae recensentur species.*

§. IV. *Quod nonnunquam spasmi quamplurima membra et totum fere corpus humanum simul infestent, comprobatur.*

§. V. *Internarum partium spasmi proponuntur.*

§. VI. *Continuatio huius materiae subsequitur.*

§. VII. *Infimi ventris spasticae examinantur constrictiones.*

§. VIII. *Sedes huius morbi sistitur in specie.*

§. IX. *Connexio vesicae cum aliis partibus ostenditur.*

§. X. *De modo, quo spasmus partes corripit, agitur.*

§. XI. *Varia et diuersa huius morbi exponuntur symptomata.*

§. XII. *Causae intra vesicam haerentes sequuntur.*

§. XIII. *Eaedem in partis huius membranis hospitantes causae adlegantur.*

§. XIV. *Lotium quomodo hunc spasmum producere possit, euincitur rationibus variis.*

§. XV. *Aliae in vesica variae haerentes causae enarrantur.*

§. XVI. *Extra vesicae cauum, quae adsint causae, proferuntur.*

§. XVII. *Tandem causae in partibus cum vesica connectentibus recensentur.*

§. XVIII. *Quaenam subiecta ad hunc morbum sint disposita, disquiritur.*

§. XIX. *Signa exhibentur huius morbi in specie.*

§. XX. *Prognosis denique additur.*

§. XXI. *Traditur iam Therapia.*

§. XXII. *Adplicatur ad diuersas causas cura.*

§. XXIII. *Continuatur haec medicamentorum adplicatio ad alias causas.*

§. XXIV. *Inueterati morbi medela instituitur.*

§. XXV. *Euporista ac tonum roborantia remedia commendantur.*

§. XXVI. *Vltimo maxime suadetur, diaetae rationem simul habendam esse.*

PRAE-

PRAEFATIO.

I quae morborum nomina, in hominum frequenter verſentur ore, erit certe et *Scorbuti* et *Spaſmi* denominatio. Non enim raro accidit, vt quas corpori praeter naturam accidentes affectiones, inprimis paulo abſtruſiores, propria ſua voce inſignire nequeat vulgus, ne nil dixiſſe videatur, ita appellet. Interim vt verum fateamur, tam

ſaepe accidere videntur ſpaſmi, quam bene multi alii affectus vix ac ne vix quidem aegrotos inuadere deprehenduntur. Nec quicquam obſtat, quod haud vnico exprimantur nomine: ab vnica enim matre, ſat fertili, tam variae productae ſunt ſpecies, vt ſi omnes colligas, catalogum inuenias prolixum. Proinde non abs re fore opinor, ſi dum ſpecimen profectuum, quos in ſalutari arte fecerim hactenus, *Diſſertatione Inaugurali* edendum eſt, hoc perutili labore perfungar, et *Spaſmum Veſicae Vrinariae* ſiſtam. Hunc autem ſeruabo ordinem, vt in genere ſpaſmi prius euoluam naturam, quam in ſpecie de veſicae ſpaſmo agere ſuſcipiam. Tandem breuem, aſt rationalem viam, ad malum hoc aut penitus arcendum, aut minimum mitigandum, proferam.

§. I.

Pasmus graecum nomen, ciuitate latina donatum, in genere vi vocis conuulsionem designat, atque modo late accipitur, omnesque iam conuulsiuos motus ac epilepsiam inprimis sub se comprehendit; modo autem stricto in sensu musculos rigidos ac immobiles esse saltem innuit. Et sic stricte hic assumtus, nobis quoque denotat, inuoluntariam, constantem, et plerumque dolorificam musculosarum partium ac fibrarum contractionem, quae partem adfectam omni propemodum mouendi potentia priuat. Hac autem ratione, quamuis in plerisque Veterum scriptis ingens reperiatur confusio cum motibus conuulsiuis, immo in quibusdam cum epilepsia, magnam tamen hos inter adfectus differentiam esse constituendam, crediderim. Dolores enim quos spasmo adfecti aegri percipiunt, saltem non prorsus nesciunt accusare in paroxismo constituti epileptici, verum etiam in conuulsiuis motibus homines non stabilem, sed reciprocam ac alterantem partium adfectarum tensionem experiuntur. Omnis deinde quidem contractio musculi morbo obsessi eadem, vt in sanis, fit ratione, saltem quod coacta naturali longe plerum-

Definitio spasmi in genere eiusque differentia suppeditatur.

plerumque ſit vehementior. Quod ipſum inde clare patet, cum nec voluntatis determinatione, nec manuum adhibita opera, nec inſtrumentorum ſemper adplicatione, quam certe mirandam vim obſeruationes hinc inde probant, flectere aut dirigere partem adfectam valeant. Quae igitur muſculoſarum partium fortiſſima contractio atque abbreuiatio ab influxu ſpirituum animalium, ſiue fluidi neruoſi, largiori dependet, atque quemadmodum hac ratione alias in corpore noſtro ordinatae ſubſequuntur motiones, ita tum temporis hi motus, equi ad inſtar indomiti ſaeuiunt, et frenis quaſi laxatis, refragante voluntate noſtra, pertinaciſſime aegrotos adfligunt.

§. II.

Subiectum morbi in genere declaratur.

His ita conſtitutis, non eſt cur litibus de ſubiecto generaliori adfectus huius longe lateque motis multum inhaereamus. Quod enim cerebrum, cerebellum et medulla ſpinalis, cum neruis horumque fluido et inde contextis muſculoſis partibus variis, pro differenti corporis regione, afficiantur, de eo nulli dubitamus. Senſus enim inde excitatus exquiſitisſimus, nonniſi in ſenſorio communi hoſpitans, cum morbi inuaſione ſubitanea partisque conſtrictione veloci, tale quid euincere videtur. Interim id mihi breuibus verbis declarandum adhuc erit, ſpaſmum in vniuerſalem ac particularem plerumque a practicis diſpeſci. Et quum hic morbus vel totum muſculum, vel certas in hoc ſaltem fibrillas occupet, occaſionem id dedit medicis, diuidere

ſpaſmum

ſpaſmum in muſcularem ac fibrillarem; qui vltimus potiſſimum in doloribus arthriticis occurrit.

§. III.

Varia autem morbi huius in variis partibus denominatio teſtatur abunde, ingentem partium ſpaſmo obſeſſarum eſſe numerum, regionemque ac partem corporis et externi et interni dari propemodum nullam, quae non hinc inde eo torqueatur miſere. Nunc enim in *ſpaſmo cynico* muſculi dimidiae faciei et oris, ringentem repraeſentantes canem, contrahuntur; mox in vtraque parte id ipſum animaduertitur, et ridentis ſiſtit ſpeciem, in *riſu* nempe *Sardonico.* Nunc oculorum inſtrumenta, motioni praefixa, in motum coactum in *ſtrabiſmo* rapiuntur; aliter et maxillae et temporum muſculi irritantur non ſine dentium ſtridore in *triſmo;* atque tam firmiter inferior maxilla nonnunquam cum ſuperiori coniungitur, vt aut plane non, aut difficulter aperiri poſſit. Iam autem occiput in aliis, caput rigidum tenentibus, vt flectere neſciant, continuo ſpaſmo obſidetur, vel collum cum ceruice plenarie ab hoc morbo libero ſuo in *rheumatiſmo* priuatur motu. Et cutem ipſam a tali ſtricturae labe non eſſe exemtam, durior ille ad ſenſum tactus, cum pororum eius in papulas eleuationibus, cumque ſanguinis ad truncos interiores maiores propulſione tam ſtricte coniunctus, vt et vaſa alias tumida vix filum tenue repraeſentent, id abunde indicare videtur. Qualem conſtrictionem in omnibus ſub cute, et in artubus aeque ſuperioribus ac inferioribus locatis muſculis, non ſine do-

Spaſmi externarum partium variae recenſentur ſpecies.

lore nonnulli experiuntur. Thoracem mouentium inſtrumentorum ſpaſmum, *incubum* vulgo dictum, qui reſpirationem admodum laborioſam reddit, cum illo, qui dorſi inprimis occupat muſculos, ſuperioribus recte accenſemus. Nec excipienda *pleuritis ſpuria* erit, quae ſimiliter in muſculoſis pectoris partibus vitium reconditum gerit, vt non niſi tenſiuas, et ob ſanguinis per arterias compreſſas interceptum fluxum, tempore inprimis reſpirationis prementes et pungentes creet ſenſationes. Ac quanquam abdomen in parturientibus, durioris aſſeris inſtar coarctatum, magis ad naturalem foetus excluſionem pertineat, non raro tamen et poſt partum, in hypochondriacis aliisque, non abſimili modo conſpicitur conſtitutum. Penis ſi perpetuo et contranitente voluntate erigitur, recte ſpaſmo, quem *priapiſmum* dicimus, occupari exprimimus. Quemque alii in femore, ſuris, pedibus, humero, cubitu, manibus ac digitis perſentiſcunt, quanquam breuiori interdum circumſcribatur periodo, iure tamen ac merito in cenſum noſtrum venit, quo magis vehementiori conatu eo increuit, vt teſtantibus hinc inde Medicorum obſeruationibus in oſſium deſierit plane fracturas, *vid. Miſcell. Nat. Cur. An. 2. obſ. 225.* De *Chiragra* ac *Podagra* non eſt cur multa proferam, quippe hi morbi, dum grauiter homines excruciant, ſpaſmum inſignem adeſſe ſatis teſtantur.

§. IV.

Quod ſpaſmi quamplurima Nec ſaltem malum hoc ſolitarias corporis partes ac regiones inuadere ſolet, ſed interdum intra

intra vnam vel alteram horam plus ſimplici vice totum, *Tetani* nomine corripit, corpus. In aliis vero antrorſum in *Emproſthotono*, in aliis retrorſum in *Opiſthotono*, in aliis cum corporis partium retenta figura, quam cum corriperentur habebant, in *Catalepſi*, vniuerſus cum artubus conſtringitur truncus, non ſine ſpectaculo miro, aſt triſti.

corporis membra ſimul infeſtent.

§. V.

Sicuti autem affectus ſpaſtici externi maxime in oculos hominum incurrunt, ita horum interni, qui organa interiora et ipſa viſcera grauiter et varie exagitant, dantur non minus varii. Hoſtem hunc ex muſculis conflatae partes internae experiuntur, adeoque et lingua, quae in *Tetano*, vt nuper mihi videndi contigit occaſio, cum aphonia, ad breue tempus inducta, rigida obſeruatur: qualis et linguae immobilitas inſtar ligni in ore haerentis in *Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. ann. V. et VII. obſ. 9. et 15.* allegatur. De ſpaſmodicis fibrarum gulae longitudinalium ac transuerſarum motricium contractionibus, quae cauitatem oeſophagi ſtringendo imminuunt, et boli quaſi inhaerentis ſenſationem inducunt, aut deglutienda neutiquam admittunt, quosdam caſus *Horſtius dec. 5. caſ. 2.* et *Willis* referunt, ac rem ita ſe habere ſatis conſtare videtur. Id interim magis admiratione Anatomicorum dignum cenſetur, hunc affectum nec muſculis inter tracheae et bronchiorum cartilagines annulares ſitis, totius corporis fere minimis, meſochondriacis alias dictis (a), parcere. Quandoqui-

Internarum partium ſpaſmi proponuntur.

(a) vid. Euſtach. Tab. XLI. fig. XI.

doquidem in asthmate sic dicto conuulsiuo, hos ipsos non leuiter affligi rectius hodie innotuit. Equidem ob perpetuam cordis requisitam functionem, idem a tali constante contractione liberum permanere censendum est, quod vero et palpitatio cordis et variae pulsus species, de conuulsionum praesentia testimonium perhibeant, res in aprico est: quare et plenarie cor nostrum haud eximendum a spasmo esse, iudico. Idem de septo medio esto iudicium, quod ob continuam respirationis functionem praestandam non spasmis stabilibus, sed reciprocis, propter neruos in vtroque eius musculo connexos, in singultu sat grauiter tentatur.

§. VI.

Continuatio prioris.

Conqueruntur homines satis frequenter stomachum morbose constringi, nec fabrica eius musculosa atque neruosa hac a re abludit. Immo quin superius ventriculi orificium ob largiores, quibus donatur, neruos (b) in cardialgia, a variis causis excitata, angatur strenue, neminem dissentientem fore arbitror. Si quis porro illam, quae de Colica Spasmodica contingit, totius abdominis coarctationem probe animaduertit, ab intestinis nunc tenuibus nunc crassis, mire torminibus crispatis vel aliter contortis, hanc deriuandam esse sane profitebitur. Quae ipsa eo vsque intenditur non raro, vt vel clysmata non nisi summa cum difficultate, ob ani orificium fere clausum, iniici possint.

(b) Andr. Vesal. de human. corp. fabr. Lib. V. fig. 14. 15. lit. T. V. X. Y.

ſint. Ne quid iam amplius proferam de torminibus motibusque vehementioribus, quae et in deiectionibus alui ſe quandoque exſerere ſolent.

§. VII.

Infimi ventris ſpaſticas conſtrictiones examinat.

An et cetera viſcera infimi huius ventris huic affectui exponi nonnunquam queant, quaeſtio ſi ſit: Non poſſum non ad ſplenis humani fibroſam vaſisque quampluribus interpoſitam (c) ſtructuram, ac aliqua ex parte muſcularem fere recurrere, quippe quae in lienem ſimile quid cadere poſſe non prorſus abnuit. Accedit peculiaris, venarum texturam hiſce in partibus adiuuans, neruoſa quadantenus membrana, venam inprimis portae, capſulae Gliſſonii nomine, (d) inuoluens, cui partium diſpoſitioni in ſpaſmodicis infimi ventris, cum paſſione hypochondriaca inſurgentibus turbis, eandem morboſam plane denegare nolim ſtricturam. Nec minus fellis folliculum, iracundiae ac furoris tempore, tale quid nonnunquam pati, cum collectae ibidem bilis effuſione, vero videtur ſimillimum. Quamuis autem fibris carneis haud copioſis ac muſculoſis gaudeat meſenterium, ob plexum tamen neruoſum robuſtum, inteſtinis ſimul communem, eodem quo haec non raro afficitur tempore. De vena portae eiusque ramis multa addere ſuperuacaneum eſſe duco, cum, qui congeſtiones ex tranſitu ſanguinis per hepar denegato in ſplene, inteſti-

 nis,

(c) Fried. Ruyſch. Theſaur. anatom. VII. Tab. I. fig. I. lit. A.

(d) Franciſc. Gliſſon. Anatom. hepat. Cap. 25.

nis, haemorrhoidalibus vasis oboriri neget, nemo nisi forsitan hospes in praxi medica censendus erit. Quid de renibus ac vreteribus hoc in genere dicendum sit, nephritici exemplo suo, ni fallor, clare comprobant, qui propter naturalem tubulorum renalium stricturam ipsa aqua tenuius lotium plerumque effundunt. De vtero, tubis Fallopianis et vicinis aliis partibus passiones sic dictae hystericae cum concurrentibus vniuersis, spasmum indicantibus symptomatibus, testimonium perhibent. Et cum spasmus morbus omnium fere viscerum infimi ventris', merito dici possit, quotus est quisque, qui vesicam vrinariam ab hoc crudeli hoste iudicet liberam? Causis vero ductus variis hanc mihi cumprimis spasmorum speciem, quae vesicam vrinariam infestat, missis nunc reliquis, vltro perueſtigandam sumo.

§. VIII.

Sedes morbi sistitur in specie.

Morbi huius sedes sistit vas in pelui sub peritoneo situm, variis constans tunicis et vasis, tam receptioni et asseruationi lotii in renibus secreti ac per vreteres deducti, quam iusto tempore emissioni eius, destinatum. In pelui dixi vesicam vrinariam, quae in fundum et ceruicem a medicis diuiditur, esse collocatam, siquidem exonerata lotio suo fuerit; in cauum abdominis e contrario assurgit, expandendo se, vbi idem colligit. Ita autem sub peritoneo continetur, vt fundo suo expansa eleuet illud, supra os pubis ascendens, compressa vero eidem descendendi spatium concedat. Ast prouti vesica vrinaria vreterum expansionem duntaxat

xat esse videtur; ita hanc tres inprimis membranas obtinere, quemadmodum hoc in illis quoque obseruatur, autopsia anatomica nos edocet. Prima adeoque exterior a peritoneo proueniens communis (e) appellatur, ac reliquas abdominis cingit partes. Hanc muscularis excipit, quae carneis satis, per totum vesicae ambitum excurrentibus fasciculis, ditari animaduertitur: quare et hasce fibras musculosas, quae circa eius fundum expanduntur, nonnulli anatomici musculum detrusorem vrinae (f) appellant. Quae fibrae musculosae; an longitudinales saltem sint, vt *Excell. Bohnius* id contendit; an vero simul transuersales, vt plerique anatomici id asserunt; aut an potius ex circulari et ex transuersali serie, priori iuncta, adeoque triplici constent, prouti *Beddevole Essais d'Anatomie Disc. 20. p. 184.* statuit, quaestio adhuc moueri quidem poterit. Verum si separatum tamen quoddam eius frustulum in fibrosas huius membranae series resoluamus, illas in omnes fere dimensiones excurrerere animaduertimus, ita vt hac ratione cum *Eustachio* (g) sentire haud dubitemus, qui easdem radiatim ex pluribus punctis excurrentes delineat. Et sane si porro ingentem, in quam expandi potest, pensitemus molem, vt in adulto libram vnam ac vltra lotii capiendi par sit; deinde si ad constrictionem excretio-

(e) Cheseld. de Lithotom.

(f) Douglass. in descript. muscul. human. corp. et quadruped. Cap. XXII. §. 108. item Morgag. epist. anatom. I. n. 60. 61.

(g) Eustach. Tab. XXII. fig. 7.

cretionis tempore firmissimam, vt nonnunquam vix amygdalae nucleum suscipere queat, illaesa tamen ouata semper figura, probe adtendamus, in omni vesicae puncto idem fibrarum musculosarum praesto esse robur, nobis persuadeamus, necesse erit. Non vero assequor, quare non cum *Celeb. Heistero* (h) cellulosam quandam inter primam et secundam collocare adhuc possem membranam, pinguedinis ibidem asseruationi destinatam, cum haec veris cellulis distincta et quandoque in brutis pinguedine larga praeditis manifesto appareat. Interior glandulosa tandem tunica, neruea aliis dicta, ab infimo mesenterii plexu neruoso, (i) vtriusque intercostalis ramo interiori, et ab aliis ex osse sacro propullulantibus neruis originem trahit, vasisque sanguifluis (k) intertextis atque glandulis (l) hinc inde mucosis, inprimis circa collum vesicae, donatur, quae pro interioris superficiei muco excernendo inseruiunt. Praeterea adhuc quidam peculiares fibrarum musculosarum fasciculi circa huius collum deprehenduntur, qui sub rectis fibris prioribus transuersim, aut secundum *Barthol. Cent. 4. epist. 52. p. 332.* annotante *Borrichio*, semi obliquae excurrunt, inque viris cum intestino recto ac ani musculis, in feminis cum vagina vteri connectuntur, atque Sphin-

(h) Heist. Compend. Anatom. p. 258. not. 24.
(i) Willis. de cerebro et neruis et Viessen. Neurograph. it. Morgagn. adv. II. 71. et V. 101.
(k) Rhuysch. Thesaur. anatom. X. p. 50.
(l) Graaf de organ. genit. Tab. V. item Drake Anthropol. Lib. 1. cap. 20. Tab. III. fig. 1. lit. h.

Sphincteris vesicae (m) nomine insigniuntur communi. Qui dein satis valide ceruicem iam ambiunt, atque cum aliis adiacentibus musculis (n) impediunt, quo minus sic absque voluntatis determinatione vrina exire possit.

§. IX.

Connexionem deinde variam vesica vrinaria cum quamplurimis partibus alit. Quippe singulari fere modo (o) ac prorsus aliter in humano corpore quam in brutis, ossi pubis per peritoneum adhaeret. Et cum partibus aliis genitalibus per vrethram, cum vmbilico per vrachum et arterias vmbilicales, aliterque in viris cum intestino recto, quam in feminis cum vteri vagina connectitur, (p) atque per vasa hypogastrica, spermatica et per vesiculas seminales ac vreteres iterum renibus aliisque partibus coniungitur. *Connexio vesicae cum aliis partibus.*

§. X.

Sede igitur morbi, (§. VIII. et §. IX.) vt puto, satis exposita, spasmum in membrana hac musculosa, diuersae seriei, neruisque intertextis, quam maxime hospi- *De modo quo spasmus partes corripit, agitur.*

(m) Fallop. obs. p. 440. Graaf. cit. l. Tab. X. et XI.

(n) vid. Archiatris Regii ac Viri Celeb. Aug. Fried. Waltheri Anatome repetita, quem Fautoris ac Praeceptoris nomine debite semper venerari, haud desinam.

(o) Vesal. cit. l. Libr. V. fig. 2. 3. 6. lit. N. fig. 20. lit. P. fig. 22. lit. V. fig. 24. lit. T.

(p) De hisce vid. Patrui mei Io. Adam. Kulmi, quem Parentis nomine ad cineres vsque filiali pietate merito prosequor, Tabulae Anatomicae, nuperrime editae, et quidem Tab. XXV. eiusque annotat.

hoſpitari cenſeo. Enim vero quodſi nerui variis ex cauſis irritentur, non poterit non carnearum fibrarum congeries inde conſtringi inſigniter. Nam dum filamenta neruoſa fluido ſuo ſubtili dilatantur, omnem fibrarum muſculoſarum compagem ampliorem quaſi, ſimulque breuiorem, reddunt. Proinde cum veſica in naturali ſua conditione, hac propria ſua vi, muſculoſis fibris inſita, non ſolum comprimatur, ſed robur quoque muſculorum abdominalium exſpectet; in ſtatu tamen, qui eidem eſt praeter naturam, non voluntariam horum inſtrumentorum deſiderat ſemper actionem, ſed et inuoluntarie per neruum intercoſtalem, et ſurculos per os ſacrum prodeuntes, (§. 8.) atque a cerebello maxime ac medulla ſpinali oriundos, afficitur tantum. Licet minime hac ratione negare audeam, haud raro hoc in viſcere ſpaſmum quoque oboriri, ſi aliae muſculoſae partes, quibus arcte veſica coniungitur, hoc morborum genere inuaduntur. Hinc tamen eſt, quod nec voluntate noſtra morbus emendari vllo pacto poſſit, ſed diu ſaepe haec pertinaciſſime perſiſtat ſtrictura.

§. XI.

Varia diuerſaque huius morbi ſymptomata exponuntur.

Prouti vero plures ſunt regiones et loca, quae in vaſe hoc notantur, ita et differenti prorſus ratione alia prae aliis affligi ſolent. Fundus veſicae, ſi cum vitio hoc conflictetur, propter ſingulares neruorum ramos (q) irritatos, qui ſtricturam ibidem fibrarum muſculoſarum, ceteris partibus bene ſe

(q) Vieuſſ. in Neurograph.

ſe habentibus, ingentem efficiunt, incontinentiam vrinae producit; cum contra integra plane lotii ſuppreſſio ſphincteris colli non raro ſpaſmum excipiat. A renibus per vreteres propagatur nonnunquam ad veſicam vsque quaedam morboſa ſtrictura: quid ergo mirum, ſi et reliquae in pelui ac lumbari regione contentae partes inde triſtem experiantur ſenſationem? Quae omnes ac ſingulae veſicam ſimul efformantes partes ac regiones non ſucceſſiue, ſed quod mirandum, vnico quandoque impetu ſe conſtringunt, atque grauiſſimos dolores excitant. Et niſi me omnia fallunt, haec vltima ſpecies non tam raro ſed forte crebrius, quam venditari ſolet, obuenit, eoque magis quo arctius hac in parte inuicem connectuntur et nerui, et vaſa, et inde formatae membranae. (r) Vrgebitur hinc quidem lotium, corpore veſicae vniuerſo ſe conſtringente, ſed concurrente ſimul coarctatione colli egredi haud poterit: quare taedii plenam excitabit frictionem, interiora veſicae latera inter, et humoris ſuperficiem. Nec obſtat quicquam, ſi vel minor vrinae copia collecta antea fuerit, aut plane nihil; ibi enim maiorem fortioremque contingere actionem in humorem, hic vero fortiſſimum affrictum laterum inuicem, arbitrari decet.

§. XII.

Quemadmodum autem hoc malum cauſam ſuam interdum in ſe continet, interdum extra ſe poſitam agnoſcit; ita vulgari clinicorum elocutio- *Cauſae intra veſica haerentes ſequuntur.*

(r) vid. Graaf. de organ. gen. cit. l.

ne nunc idiopathicum nunc ſymptomaticum dici meretur. Quas internas inter cauſas eminent, quaecunque manifeſta vi pungente, rodente, ſtimulanteque praeditae ſunt: vt aſperior lapis, ſenſim ibidem collectus, concretus pariter et adcretus non ſaltem poſteriori veſicae parti, ſed et, ob aſperam inaequalemque ſuam ſuperficiem hiatibus multis refertam, tunicis internis ſe hinc inde inſinuans, atque pro vario corporis ſitu, variaque veſicae euacuationis tempore habitudine, locum ſuum priſtinum cum nouo attritu moleſto permutans. Iam autem ex dictis conſtat, omnem ſenſatione praeditam partem quouis acuto, pungente, lacerante, ac diſtendente corpore, eatenus criſpari, quatenus in his neruis, qui aegre afficiuntur, vel in tota male adfecta parte fluidi neruoſi irritatio alio atque grauiori naturali modo contingat; vt adeo conſtet, hanc abbreuiationem muſculoſorum veſicae vrinariae faſciculorum potiſſimum fieri, propter neruoſas horum vel dilatatas vel aliter commotas copioſiſſimas fibrillas. Prouti ergo calculus, vel alia huius irritationis cauſa, veſicae quandam occupat regionem, differenti ſe id manifeſtare ſolet modo. Vbi enim fundo eius adhaeret, ac huius conſtrictionem efficit, lotium antea collectum mox effluet, quanquam minori ſemper in copia, et quandoque ſine voluntate noſtra. Nam quod ſphincteris actio ab hoc potentiori fundi muſculo corporisque coarctatione praeſertim inuoluntaria, multum ſuperetur, pro indubitato habeo. Quando vero alio tempore veſicae collum et ſphincteris regio ab eadem cauſa graui-

grauiter affligitur, idem ſpaſmus, aſt cum plenaria lotii ſuppreſſione, tanquam contrario effectu maxime coniunctus, plerumque oboritur. Imo ſi malum denique totum obſidere vas cernatur; vel ſi ab aſperitate lapidis ac figura eius anguloſa vndique fere veſica vrinaria ſtimuletur; aut ſi huius latera tophacea quadam et ſabuloſa materia prorſus incruſtentur, quemadmodum id nonnullae obſeruationes (s) comprobant, ſpaſmus ille iterum aliis cum ſymptomatibus, vel vrinae ſuppreſſionem grauiſſimam, aut huius ſtillicidium perpetuum efficit.

§. XIII.

Earundem in membranis veſicae hoſpitantium cauſarum continuatio.

Quo autem veſica maxime ex membranis conflata (§. VIII.) ab acore lotii immunis praeſtetur, non ſine ſalutari prouidae naturae ſcopo factum eſt, vt interior eius ſuperficies humore lubricante pingui, vnctuoſo, in glandulis tunicae interioris ab arteriis ſecreto, obducatur. Denudata hac ſuperficie, intertrigine quaſi adfecta, non poterit non vel ſerum blandiſſimum moleſtiam creare, nedum ſi acrimonia maiori praeditum fuerit. Conſtat autem abunde, eundem liquorem lentum, per calculos hinc inde motos, taedioſumque attritum, in miſeris ſaepenumero, non ſine totius veſicae dolore notabili, abra-

(s) vid. Bagliuius, item Viri Magnifici ac Praeceptoris mei pia mente deuenerandi, Polycarp. Gottlieb. Schacheri peculiare illud hac de re ante paucos annos conſcriptum eruditiſſimum programma.

di. Ac quanquam ex vitio glandularum obſtructarum, quae huius liquoris ſecretioni praeeſſe nequeunt, deficere quandoque poſſit, perraro id tamen obſeruatur: licet accidat quandoque, vt ex defectu materiae talis gelatinoſae in ipſo ſanguine, ſi colliquefacta fuerit per hecticum calorem, vel alia ratione, tale quid eueniat. (t)

§. XIV.

Lotium qua ratione morbum producat.

Lotium ipſum, quod in naturali ſuo ſtatu, tametſi diu aſſeruetur, in corpore nullum dolorem inducit, ab hac ſua conditione interdum adeo deflectere, experientia ſatis ſuperque teſtatur, vt mordax acriusue redditum, quas attingit partes, iam irritet laedatque grauiter. Quam mutationem cum, teſtante Chemia, ſola digeſtio in phiola inſtituta intra exiguum temporis ſpatium perficiat, dum vel blandiſſima vrina mire poſtmodum alcali prodat, quidni et mora in veſica eidem largiter conceſſa, quemadmodum in ſoporoſis affectibus id fieri ſolet, ſimilem lotii metuendam mutationem efficere poterit? Variae autem huius acoris ſpecies non eodem partes afficient modo, ſed altera prae altera fortior magisque ad dolorem ac laeſionem inducendam aptior, cenſenda erit. Acida tam vegetabilia quam mineralia, natiua et arte parata, vias vri-

(t) vid. paſſim hac de re in ſuis ſcriptis practicis, Foreſtus, Clariſſ. Ettmüllerus, Sennertus imo et Bartholinus in obſeru. variis.

vrinae transmiſſioni deſtinatas, ſtimulant aperte. De muriaticis ac aliis perfecte ſalſis res notior eſt, quam vt probari multis debeat. Acrimoniam vero dari nullam, quae oleoſas partes quibus interior veſicae ſuperficies dicto ſupra modo obducitur, magis ſoluat, quam lixiuioſam ſiue alcalicam, chemica pariter docent principia, ac ſaponis vulgaris confectio aſſerti veritatem abunde comprobat. Eoque magis hoc ipſo ſua pinguedine priuabitur, quo melius cum calce viua, vel ſimilibus terreis lapidoſisque vſtis, commixtum antea ſal fuerit alcalicum. Eadem lixiuioſa cum oleoſis ſeu pinguibus in ſaponem mixta, quod nimio vſu ſimiles pinguedini huic inſidias ſtruere valeant, domeſtica quotidie illuſtrant experimenta; cum eius ſoluti ope omnis pinguis et oleoſa ſpurcities de partibus corporis ac manibus egregio at ſimplici artificio auferatur. Quibus vrinoſis ſalibus et illud cantharidum ſal volatile acerrimum eſt annumerandum, cum impetu ac vi ſtimulandi omnia reliqua ſalia multum ſuperet. Scilicet non ſimplici vice factum eſt, vt cum in virulento ſeminis profluuio ad acrem propellendam materiam, aut alibi in impotentibus, ad ſtimulos venereos ſuppeditandos, hoc inſecto haud caute vſi fuerint medicaſtri, aegrotantes poſtmodum in horrendos cruciatus preſſorios atque ſpaſticos, ſe delapſos eſſe clamarint. Id interim magis mirum merito videtur, humores quoque blandiores viſos: cereuiſiam nempe non ſatis defoecatam, vinumque inprimis paulo auſterum, ob acorem latentem in ſenſibilioribus

ſubie-

ſubiectis et poſt ſubitaneam cum triticeo vel alio hordeaceo potu commutationem, ſtrenue veſicam torquere; ſicuti in illis non raro ſpaſmos ac tremores experimur, qui Baccho vel Rhenano potu auide nimiumque delectantur.

§. XV.

Aliarum in corpore veſicae ſitarum cauſarum enarratio.

Nec raro accidit, vt a ſtagnante variis ex cauſis ſanguine, hinc inflammatione, veſica corripiatur, quae, dum perdurat, aut ſin minus diſcutienda per ſuppurationem in vlcus degeneret, vel in ſcirrhum mutetur, ſemper ſufficientem pertinaciſſimi ſpaſmi occaſionem praebet. Cum enim in inflammatione tendantur mire partes, in vlcere rodantur, dilacerenturque, in ſcirrho et alio quouis tumore vaſa premantur fortiter vel prorſus occludantur, ingens vtrumque neruoſarum partium doloroſa ſtrictura abeſſe haud poterit. Addo a veteribus iam decantatam illam *ſcabiem veſicae*, quae in huius exulceratione cum ſquammularum perpetuo ſeceſſu conſiſtit, et cum prioribus tortorem perpetuum excitans, huic morbo atque ſpaſmis quam maxime anſam omnino ſuppeditare iam valet.

§. XVI.

Extra veſicae cauum, quae adſint cauſae.

Ordo nunc nos ad eas perueſtigandas cauſas ducit, quae extra corpus veſicae quidem conſtitutae deprehenduntur, attamen hunc ſpaſmum quoque excitare valent. Quid igitur frigus intenſum, improuide corpori admiſſum, ſi regio inprimis oſ-

ſis

ſis pubis vel totius abdominis haud probe veſtibus muniatur, quid varia alia nociua ingeſta acrium, auſterorum fructuum et potulentorum incongruus vſus, vel draſtica purgantia, aut diuretica medicamenta inadaequate adhibita hoc in genere efficere valeant, haud difficilis erit indaginis. Motum nimium, inprimis per equitationem diutius protractam inſtitutum, ob ſanguinis vehementiorem commotionem, ac congeſtionem ad trunci inferiores partes, extendendo vaſa vel neruos intertextos premendo, ſimilem non raro produxiſſe effectum, et *Riuerius Cent. 1. obſ. 89.* et alii Practici comprobant. Nec heterogenea illa omnia, quae quandoque cum lotio excernuntur, in accuſandis huius ſpaſmi diuerſis cauſis prorſus eximenda erunt, quorum frequentiora ſunt: calculi aſperiores, (§. XII.) ac pus, (§. XV.) ſiue illud ibidem generatum, ſiue per renes ex ſanguine reliquo ſecretum, et hinc duntaxat depoſitum fuerit. Quorſum et virus venereum per obſcoenum et impurum coitum in vrethrae tubum immiſſum, partibus his ſenſim communicatum, pertinet; imo quin etiam iniectiones acriores, quae ex vitriolo, alumine, et ad vlceris deterſionem ac conſolidationem ſyringae ope haud caute nonnunquam vrethrae immittuntur, iure huc referantur, nullus dubito. Et quid tandem effrenata venus, dum partibus muſculoſis rigiditatem nimiam plerumque concedit, in excitandis ſpaſmis praeſtare valeat, non obſcurum eſſe amplius arbitror.

§. XVII.

Causae in partibus cum vesica connexis, recensentur.

Multo autem minus in adlegandis remotioribus huius morbi causis connexionem (§. IX.) partium reticere iam conuenit, quam inter vesicam ac quamplurima viscera infimi ventris per vasa omnis generis, per neruos, membranas, atque musculos, intercedere innuimus. Quaecunque igitur vlcera vel carunculae (u) vesiculas seminales, corpus prostatarum, vrethram ac penem ab impura venere, vel alia causa obsident, illa his partibus et vesicae non raro ingentem crispaturam communicare solent. Menstrua deinde mulierum magno cum dolore vel fluore albo coniuncta, grauiditas vteri ad vltimum inprimis tempus protracta, partus difficilis, sectio calculi, catheteris improuida adplicatio adhibita, et affectiones

(u) Carunculae equidem in ipsa vrethra sunt rariores, et multoties hoc vitium subesse venditatur, vbi tamen huius morbi causa potius vel in vesiculis seminalibus, et circa illud *caput gallinaceum* sic dictum, imo circa illa foramina à *Cowpero, Littrio*, et *Morgagnio* detecta, haeret; vel vbi ab inflata spongiosa vrethra et a varicosis vasis illud oboriuur; aut si denique a cicatrice et callo, vlcere quodam inducto, vrethrae canalis coarctatur, prouti de hisce videatur *Garengot. Traité des operations de Chirurg. T. I. p. 318. Terraneus de glandul. in vrethra, item Brunneri obseruatio in Ephem. Nat. Cur. Cent. I. obs. 71. p. 143. ac obs. 97. p. 200. et Mr. Colot. Traité de l'operation de la taille, par vne obseruation sur la formation de la pierre, et les suppressions d'urine, a Paris 1727.*

nes aliae vteri vel inteſtini recti, quae cum teneſmo, fiſtulis, vlceribus ac cum aliis a materia dyſenterica vel a purgantibus draſticis inductis laeſionibus coniunguntur, veſicae ingentes inſidias ad hunc excitandum ſpaſmum ſtruunt. Quod autem porro aliunde a diſſitarum paulo partium v.g. renum vitio, ſiue illud a nephritide, ſiue ab exulceratione, ſiue denique a calculo producatur, haud excluſis vreteribus proueniat veſicae ſpaſmus, miſeri ſaepe damno ſuo experiri coguntur. Tandem haemorrhoidum ſuppreſſio, adminimum earundem molimina, non prorſus a nobis omittenda erunt; quae non raro, ob vaſorum haemorrhoidalium externorum cum vaſis veſicae connexionem (w), facile mictui cruento et huic ſpaſmo anſam quam maximam praebent. Imo nonnunquam vermes hiſce in partibus ac in veſica obhaerentes, huic morbo fomitem praebuiſſe, obſeruationes (x) perhibent.

§. XVIII.

Hoc ſpaſticum pathema corpora laxa et ſpongioſa, quae temperiei ſanguineo-phlegmaticae eſſe dicuntur, inprimis inuadere obſeruatum fuit. Qua de re iam *Hippocrates* recte monuiſſe videtur: quod ſpaſtici motus ſint habitioribus, quemad-

Quaenam ſubiecta ad hunc morbum ſint diſpoſita.

 modum

(w) vid. Celeb. Boerhau. inſtit. med. atque Heiſter. Compend. Anatom.

(x) vid. Celeb. D. Schacheri idem iam allegatum eruditiſſimum programma.

modum ſic de infantili aetate et diffuſiore corpore praeditis pueris loquitur. Interim tamen non plane exemti ab hoc morbo ſunt homines ſtrictiore ſiccioreque partium textura conſpicui, quippe qui et internos tales ſpasmos, ob viſcerum inprimis hypochondriacorum conſtipationem admodum ſentiunt. Prae aliis autem ſenſibilioris conſtitutionis ac animi hominibus, qui vitae tranquillae ac ſedentariae dediti, impuritate ſcorbutica replentur, frequentius hic morbus obuenire conſueuit, eoque magis quo ſaepius ſe fortioribus, quanquam breuioribus, motibus corporis, atque aëris vel anni tempeſtatibus diuerſis, grauiter exponunt. Quibus tandem omnem corporis ad nephritidem, calculum, haemorrhoides, diſpoſitionem accenſere ratio merito iubet, quemadmodum id ex cauſis (§. XII.---XVII.) haud difficulter patet.

§. XIX.

Signa exhibentur morbi in ſpecie.

Quanquam autem plurimae adſint circumſtantiae, nephritidem, calculum, vlcus renum, et veſicae concomitantes, quae cum huius ſpaſmi ſymptomatibus plane congruunt (y), latens tamen huius morbi vitium in apricum tum producitur, ſi dolorem conſtringentem maxime in inguine, in oſſis pubis et peritonaei regione, cum perpetuo ad matu-

(y) vid. Io. Lomnii obſeruat. medicinal.

matulam fere stimulo, obseruamus; si deinde ad penis ipsius saepe numero erectionem, testiculorum retractionem, scrotique corrugationem ac pariter ad ani tenesmum, qui cum alui constipatione plerumque iungitur, probe adtendamus. Omnia enim hisce in partibus tum tensa atque rigida fere deprehenduntur, et ipsis nostris digitis haud raro hanc a spasmo factam vesicae et musculorum contractionem, explorare valemus. Lotium etiam illud, quod feruente morbi impetu excernitur, paucum quidem est, ast turbidum, cum nisu seu desiderio plus semper excernendi. Nec raro colicae aut hystericae passiones ingruunt, quae se cum lumborum tensiuo dolore, vel nunc cum totius corporis aut saltem capitis, ceruicis, pedis sinistri rigore, dolore, contractione et flatuum cohibitione coniungere solent. Quorum phaenomenorum satis admirandorum aliae forsitan rationes dantur nullae, quam irregulares admodum hisce in partibus, saeuiente spasmo, corporis motus, et arcta neruorum in iisdem cum vesica praesertim connexio, qui si semel irritantur, per consensum in ceteris visceribus talia symptomata excitare haud raro valent.

§. XX.

Quanquam autem ad prognosin formandam de spasmo vesicae asserendum sit, morbum esse grauissimum, attamen huic statim aegrotos succumbere, si non alia grauissima symptomata simul occur- *Prognosis additur.*

occurrant, haud pronunciandum esse statuo. Interim hoc nostrum augurium pro causarum grauitate, contumacia, frequentiori recursu variaque indole nunc melioris, nunc peioris euentus erit. Quicunque enim spasmus ab inflammatione, vlcere, calculo, neruosarum membranarum erosionibus, aut a vulnere inflicto contingit, ingens portendit periculum, inque vitae discrimen plerumque aegrotos deducit. Si vero ab vrinae acore, muriatico, bilioso, acido, viarum vrinariarum erosione, miasmate venereo, cantharidum improuida applicatione et vermibus, vna cum lotii ardore, gonorrhoea, assumtisque potulentis variis non rite defaecatis, ortus fuerit spasmus, nunc facilem nunc difficilem pariter admittet medelam; eoque difficiliorem, quo magis varia corporis totius cachectica morbosaque dispositio affectum hunc comitatur. Obseruatum fuit, saepe spasmo vesicae paralysin succedere atque subsequi, et hinc deinde vel stillicidium aut retentionem vrinae grauissimam oboriri. Meliori autem cum euentu quandoque paroxysmus copiosiore vrinae reiectione soluitur, atque nonnunquam penitus profligatur. Constat quoque et experientia quotidiana confirmatur, spasmum ex vulneribus vel a causis externis productum, non solum periculosum esse, sed et difficulter medelam admittere. Immo si saepe paroxysmi recrudescant, vel prorsus curam respuit, aut si venter simul inflatur, cum vitae discrimine quam maximo plerumque erit coniunctus. Quod si denique a partium adiacentium

morbo

morbo ſpaſmus ingruat, a ſingulorum horum vitiorum conſtitutione iudicium depromendum venit. Nec aetatis, corporis, conſuetudinis aliarumque circumſtantiarum ſigna, ad prognoſin dextre promendam negligenda eſſe, cenſeo.

§. XXI.

Cum igitur ex dictis pateat, quod quamplurimae cauſae malo huic fomitem ſuppeditent, et admodum diuerſae inueniantur, medicus ſpaſmi veſicae ſuſcepturus curam, varia vtatur methodo, pharmacisque variis inſtructus aggrediatur malum, neceſſe erit. Qua de re calculi ſi culpa excitetur, lenientia, emollientia, antiſpaſmodica, diuretica minus calida, ac anodyna remedia interne et externe varia ſub forma adhibeat, et maxime clyſmatibus huius cenſus obuiam ire ſtudeat. Quibus, calculo exiſtente grandiori, ſi nil proficiatur, vtrum, aegri conſtitutione rite perpenſa, exciſioni manu artificis peragendae locus adſit, adhibita iudicii acie, hariolabitur. Vbi vero interior veſicae ſuperficies lubrico ſuo vnctuoſoque humore deſtituta fuerit, eundem omni modo per juſcula conſummata, gelatinoſa, lenientia, emulſiua ac oleoſa, reſtituere allaborabit. Nec magis ad acrem humorem, nunc acidum, nunc alcalicum, nunc muriaticum corrigendum ac educendum ea praeſtantiora erunt auxilia, quaecunque obtundunt, temperant, diluunt, inuertunt, praecipitant et ſubducunt. Cui intentioni multiplici lactis inprimis tenuio-

Therapia traditur.

tenuioris, et quod ſpeciatim alcalicam acrimoniam attinet, ſeri lactis vſum egregie ſatisfacturum confido, quale lac et aduerſus cantharidum vim fere corroſiuam adeo ſufficiens reperitur, vt, ſi modo affatim ſatis hauriatur, antidotum dici mereatur.

XXII.

Adplicatur ad diuerſas cauſas cura.

Motus fluidi ſubtiliſſimi ob neruos compreſſos ſaepe turbatur, a ſtagnatione ſanguinis (§. XV.) plus minus viſcidi, vappidi, ac impuri, qui ad membranas neruoſas, fibras muſculoſas, earumque vaſa capillaria delatus, tranſitum liberiorem huic liquido denegat. Ab iisdem igitur cauſis, coniunctis diſtenſionibus, vellicationibus ac puncturis, dicto ſupra modo, ſpaſmis dolorificis iam porta panditur. Eo itaque omnem medicus dirigat curam, vt obſtructas aperiat partes, inflammatas reſoluat, et ſanguinis circulum decenter conſeruet. Pro quo ſcopo venaeſectione praemiſſa, tam internis quam externis antiphlogiſticis ſic dictis medicamentis inhaerebit. Quae ipſa ſanguinis per venam eductio, in corpore plethorico ac iuuenili tam ad humorum aggrauantium copiam minuendam, quam etiam reuulſionis cauſa prudenter inſtituendam, celebrabitur. Atque quum, experientia teſte, fluentium antea haemorrhoidum ſubitanea ſuppreſſio (§. XVII.) non ſaltem mictui cruento, ſed et indigitatae vellicationi veſicae ac ſpaſmis, occaſionem ſubminiſtret, hirudinum hoc in caſu decentem ad ani

oriſi-

orificium applicationem haud omissis temperantibus, antispasmodicis ac lenientibus remediis, iudico commendatissimam.

§. XXIII.

Si vesicam aut adiacentes partes vlcus (§. XVII.) obsidet, morbo tum admodum rebelli, detergentibus diureticis temperatis, ac tandem vulnerariis, quidam forsan erit locus. Ita omnes iniectiones mundificantes, balsamicae ac consolidantes, modo congrue sibi subordinatae fuerint, vsu insigni haud destituentur. Si saltem ad superandam sphincteris exquisitam contractionem collum vesicae occludentem, manu suspensa catheter immittatur, atque ad indigitatum cauum perducatur, quo demum per hunc, syringae beneficio, ad affectum locum remediorum laudatorum applicatio pertingat. Quibus ipsis subiectis, si ex venereo inquinamento adhuc alias varias erosiones, atque exulcerationes circa pudendi loca persentiscant, mercurialium et reliquorum sic dictorum antiuenereorum pharmacorum apparatus erit aptissimus. Quae remedia cum anthelminticis etiam iis optime conducent, si ab vermibus (§. XVII.) spasmus vesicae illatus fuerit. *Continuatio huius morbi medelae.*

§. XXIV.

Quanquam autem haud obscure ex prioribus cognoscatur, quid cum reliquis per consensum ad *Inueterati morbi cura.*

veſicam deriuatis ſpaſmis agendum ſit, vel vnico tamen verbo illius ſtricturae, quae fere in conſuetudinem prauam degenerauit, mentionem adhuc iniiciam. Proinde aduerſus dyſcraſiam humorum dirigenda cura iam erit, vt praemiſſis praemittendis ſingulae huius ſpecies debitam et adipiſcantur ſuam correctionem, et ſi viſum fuerit, euacuationem. Cui vtrique ſcopo thermarum praeſtantiſſimarum, et quidem Carolinarum vſus, egregie conuenit. Non enim aquarum modo pondere, ſed et partibus ſuis ſubtiliſſimis mineralibus, martialibus ac ſalinis in corpus noſtrum agunt, atque non ſolum ſupra allegatis cauſis, ſed et remotiſſimorum corporis locorum obſtructionibus, qui ſpaſmo contumaciſſimo ſaepe inducuntur, quam maxime proſpiciunt, imo humoribus ſpiſſioribus multoque acore conſpicuis, optime conducunt. Ad haec ſi thermae tanquam balneum quoque adhibeantur, blando ſuo calore partes afflictas probe fouent, neruoſasque ſolantur. His merito denique lactis et reliquorum vegetabilium lenientium et ſedatiuorum vſum adiungo, quae in thermarum locum nonnunquam felici cum ſucceſſu adhibentur. Immo et prae ceteris aliquando hoc in morborum genere omnia balſamica temperata, gelatinoſa, crocata, ſuccinata, cinnabarina, caſtoreata et anodyna praedicare fas erit, ſi duntaxat, debitis adhibitis praxeos cautelis, et perſpectis bene ſpaſmorum veſicae cauſis, adaequate in vſum vocentur.

§. XXV.

§. XXV.

Minime illa medicamenta adhuc praeterire decet, quae auertere a parte adfecta ſanguinem vllo queunt modo, prouti inſigni ſua laude omnino corruſcant. Ad quae frictiones, pediluuia, embrocationes, cucurbitulae, ſinapiſmi, aut veſicantia (z) pertinent. Erit ſaltem horum omnium decens eligendus locus, et reſpectu morbi iuſto duntaxat tempore adhibeantur, ne alias felici inde fruſtremur euentu. Denique roborantibus ac neruinis, ſuperato nimirum paroxyſmo, ſi non in omnibus, in quibusdam tamen ſubiectis ad tonum partis hactenus labefactatum reſtituendum, ſuus debetur locus. Ad quorum cenſum analeptica temperata, martialia, volatilia, ſpirituoſa, atque aromatica leniora referri ſolent. De acidularum et thermarum non minori roborante virtute res notior eſt, quam vt iterum in memoriam reuocari debeat.

Euporiſta ac tonum roborantia remedia commendat.

§. XXVI.

Vltimo, durante non ſolum morbo, ſed et eodem ex voto ſuperato, atque ad auertendum malum viciſſitudines caloris ac frigoris, ſiccitatis atque humiditatis, vitentur. Quantum enim ab his mutatio-

Diaetae rationem habendam eſſe ſuadet.

 nibus

(z) vid. hac de re Celeb. Sydenhamii ſcripta, item Mortonus in obſeru. medic.

nibus alternatim ſe excipientibus, partes in ſpaſmum pronae afficiantur, dici vix poteſt. Temperata e contrario ac ſalubris aëris vel anni tempeſtas omni ſemper conducit modo, quippe quae aequalem toni corporis ſeruat conſtitutionem. Et ſi ſaepe in morbis plurimis moderata ſuadenda alimentorum eſt ingeſtio; hic praecipue euitandus erit acris, acidi, auſteri, ſalis muriatici, exceſſus. Atque cum temperata corporis motio, omiſſa tantum forſitan equitatione, ingens ad ſanitatem et ſanguinis naturalem craſin conſeruandam afferat emolumentum, ſi quid aliud, hoc certe ſuadendum erit. Contra vero ſomni aeque ac animi pathematum habenda ratio quam maxime erit, quippe terror, moeror, vel leuiſſima iracundia, tantum cumulum exacerbationi huius affectus perſaepe addunt, quantum vix ac ne vix quidem ſaluberrima conſilia demere vnquam valent.